

MEMORIAM
VIRI SUMME REVERENDI
ANANIAE WEBERI
S. S. THEOL. DOCT. PROF. PVBL. ATQVE ARCHIDIAC. AD S. NICOL.
APVD LIPSIENS. QVONDAM CELEBERR. POSTEA VERO VRATISLA-
VIAE AD S. ELISAB. PASTOR. VTRORVMQV. GYMNASIOR. PROF
THEOL. PRIM. NEC NON CAETERAR. ECCLES. AC SCHOLAR. IN-
VARIATAE A. C. ADDICTAR. INSPECTOR. ET HAGIO-SYNEDRII
IBIDEM ASSESSOR. LONGE GRAVISSIMI
RELIGIOSA MENTE INSTAVRATAM

VIRO
MAXIME VENERABILI, AMPLISSIMO
M. CHRISTIANO WEISIO
S. S. THEOL. BACCALAVREO, ET AD AEDEM S. NICOL.
DIACONO LIPS. LONGE MERITISSIMO,

PATRONO AC PRAECEPTORI AETATEM SVSPICIENDO
LICENTIAM
SVPREMOS IN THEOLOGIA HONORES
CAPESSENDI

A
SUMME REVERENDO
THEOLOGORVM LIPSIENSIVM ORDINE
DIE VII. CALEND. SEPTEMBR. MDCCXXXIX.

RITE CONSECVTO,
QVA PAR EST, PIETATE
GRATVLAVNDVS DICAT
CASPAR FRIDERICVS KEMPFIVS,
A. M.
HILDBVRGHVSA - FRANCVS.

LIPSIAE
EX OFFICINA LANGENHEMIANA.

26.

a. LX. 59.

Coll. diss. A
9, 59

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mostly illegible due to fading and bleed-through.

M. CHRISTIANO WEISSIO





V I R

MAXIME VENERABILIS,



ermittas, quaeso, vt hoc scripturae genus leue, et non satis exasciatum, TVO, quod suspicio, NOMINI sacrum esse, iubeam. Binae sunt caussae, quibus permotus, haud dubito, fore, vt conatum huncce meum aequi bonique consulas. Alteram suppeditauit amplissimus, quo me semper complexus es, fauor: pietatis declarandae studium continet alteram. Illum grata mente veneror, et aetatem praedicabo; huius vero vt publicum quoddam extaret monumentum, id est, quod me iam diu sollicitum habuit. Quae autem mihi, talia cogitanti, hucusque defuit occasio, ea in praesenti sese abunde offert. Tempus enim adest exoptatissimum, quo TIBI, VIR MAXIME VENERABILIS, dudum pro merito, splendida Licentiati in Theologia confertur dignitas, tempus, quo TIBI honorum incrementa ex animo gratulantur, quotquot TE norunt familiarius. Religioni sane mihi ducerem, nisi tot inter votiuos applausus meos etiam qualescunque interponerem, atque illorum, qui hodierna imprimis luce faustissima quaeuis TIBI precantur, vestigia, infirmo licet pede, sequerer. At, cum interea argumentum circumspicio, et TVA PERSONA dignum, et solemnitati accommodatum, succurrit pererudita Oratio, qua, in memoriam sacrorum, ante ducentos annos hic loci emendatorum, *Lipsiam sacris de fide certaminibus inclutam, victoriis diuitem*, elapso Pentecostes festo,

IV

festo, elegantissime in templo Academico profecutus es. Simul vero etiam recordor Diui ANANIAE WEBERI, quem superiori saeculo, anno iubilaeo primo, de *Ecclesia et Academia Lipsiensi Lutheranico-Euangelica* ex eiusdem aedis umbone dixisse, constat. Plurimum sane interest coetus diuinius, tum ad praeconium virtutis, tum ad exemplar morum, ut, qui pietate conspicui, doctrina illustres, rebusque gestis insignes, suis olim temporibus fuere, horum nomen, et viuendi ratio ad seros vsque nepotes transferatur. Hoc fine, operae pretium esse, duxi, si excellentia merita summi illius Viri, ab obliuionis caligine vindicanda, mihi sumerem. Sua quidem virtus eximia Diuum WEBERVM iamdudum immortalitate donauit, ut nulla, neque mea, neque aliorum, qui vel innumbris parasangis dicendo me superant, egeat praedicatione. Viuit enim in scriptis praestantissimis cedroque dignissimis, et, quoad eruditum orbem posteritas non destituet, gloria florebit, nunquam intermorietur. Interim tamen, ut ne quid silentio de laudibus eius diminui videatur, pro ingenii, quod scio, quam sit exiguum, tenuitate contendam. Sed plura honoris ergo praefari, tum adulationis fuga prohibet, tum festinatio, ut ea explicem, quae exorsus sum. Quare ad propositum veniemus, atque in hoc exponemus libello de vita viri, cum de sacra, tum de litteraria ciuitatibus longe meritissimi.

Locus natalis.

Lindenhayna, pagus, in Ducatu Saxoniae, haud procul a Düben, et ad quartum circiter lapidem a Vitteberga situs, WEBERO nostro solum natale praebuit. Annus fuit, supra millesimum, quingentesimum, nonagesimus sextus, dies XIX. ante Calendas Septembris, ^{a)} Eusebio sacra. Parentibus vsus est honestissimis, Patre,

Parentes.

IO ANNE WEBERO, sacerdote loci, iam memorati, per XXXIV. annos vigilantissimo, Matre, Gertrude, ANANIAE COLERI, Ecclesiae ad Langen-Thempach in Thuringia Pastoris filia. Ex matre Auum habuit M. IO. COLERVM, Ecclesiae Orlamundensis Superintendentem et illius Dioeceseos Inspectorem. Cum autem

Auus maternus.

in NOSTRO, ad magna nato, egregia ingenii felicitas, summusque optimarum artium eluceret amor, indubitata futurae magnitudinis spem inde concepit strenuus atque generosus vir, ERICVS A RABIEL, Thebarum Saxonicarum ^{b)} Haereditarius, virtutibus, quae

Exergeta Eques.

a) Euolnatur Vitae Cursus III. Concionibus funebribus annexus p. 69.

b) Hoc nomine Dubenam oppidum appellare solitus est PHIL. MELANTHON Lib. IV. Epigramm. N. V.

V

tam in fago, quam in toga, equitem commendant, ea aetate inprimis eminens. Hic praeclara illius indole tantopere delectatus est, ut curam de NOSTRO, in disciplinam tradendo, iisque, quibus puerilis aetas impertiri debet, scientiis imbuendo, a sua dignitate haud putaret alienam. Inde non in aedes solum et ad conuictum NOSTRUM recepit, sed ipsi etiam de fideli institutione ultro prospexit. Misit eum^{c)} laudatissimus ERICVS in scholam Dübenensem, ubi sub Rectore, M. IOANNE ENGELMANNO, ad haurienda Scholae litterarum, quibus ab humanitate nomen est, primordia animum appulit. Sed, consumto paucorum annorum spatio, Ilenburgum Delitiumque ablegatus est NOSTER, atque in utroque loco pro^{atque} summo, quo in litteras ferebatur, ardore, mira ingenii docilitate, quae tradebantur, arripuit. Tandem Lipsiam inde migravit, celebrem illam bonarum mentium sedem, atque in schola, S. Nicolao ibi denominata, M. IO. FRIDERICI, Rectori inque Academia simul Praeceptorum^{Praeceptorum} Professori, (cuius hospitio et consuetudine per multos annos singulari cum utilitate frui NOSTRO licuit) nec non M. VALENTINO HARTVNGIO, Correctori, ita suam probavit industriam, tantosque in Linguis, Latina, Graeca, Ebraica, et in cursu Philosophico fecit progressus, ut breui ex inferioribus scholis ad superiores cum laude transire posset. Decimo octavo igitur aetatis anno WEBERVS noster nomen dedit illustri Philureae, inque Academicorum Ciuum numerum cooptatus est a D. VINCENTIO SCHMVCCIO, Eccles. Lips. Superintendente, cui tunc temporis summi magistratus insignia praeferebantur. Factum hoc est anno a reparata salute MDCCXIV. Hic non otio, non desidia indulgendum, sed eo maiore animi viriumque contentione, latissimum studiorum campum emensuro, opus sibi esse, putauit, quo magis cogitabat et de temporis caritate, et de maxima ERICI in se liberalitate. Quibus excitatus NOSTER rationibus, ad metam praefixam diligentiae via grassari, coepit. Hinc nullam perdere horam, nisi si quam nocturna forte quies flagitaret: hinc multos adire, et sedulo audire, audita repetere, lucubrare: hinc doctores, tam viuos, quam mutos, consulere, perlustrare, auribusque hausta, et oculis, memoriae infigere: hinc in utramque partem publicis, et priuatis dissertationibus vacare. Quae tam egregia solertiae specimen^{specimina,}

A 3

^{c)} Assertis subscribit ipsa Oratio Panegyrica in Obitum Diui WEBERI hic Lipsiae a D. SAM. LANGIO habita, pag. 8.

VI

cimina, quin, fidissimus ille virtutis comes, gloria sequeretur, nullo modo fieri potuit. Frequentauerat autem hucusque NOSTER, atque cum cura audiuerat M. IO. FRIDERICI, paulo ante laudatum, Vtriusque Linguae et Historiarum; M. HENRICVM HOEPFNERVM, Logices; (cuius, ^{d)} quod alumnorum Electoralium Ephorissime vsus est) L. PHILIPPVM MVLLERVM, Mathematicum; nec non M. THEOPHILVM PISTORIVM, Orientalium Linguarum, Professores Publicos, a quorum ore et latere nunquam discessit. Quo factum est, vt non gratiam tantum ab Academiae Patribus iniret, sed dignus etiam iudicaretur, qui et primos et summos in Philosophia honores capefferet. Obtinuit illos anno MDCCXXV. hos autem MDCCXXVII. En primum, quod WEBERVS noster iuuenis reportauit, indefessi studii praemium! Ast in hoc stadio non substitit, hoc decore neutiquam fuit contentus, quin potius ad alios ex aliis honores adspirauit, eo vsque, dum proximum a summo dignitatis fastigio gradum attingeret. Omnium primum lauream, quam a Sapientibus Philureae acceperat, ex superiori Philosophorum Cathedra vindicandam publice, censuit. Effectum hoc dedit anno MDCCXXI. habita propugnataque laudabiliter disputatione de *Anthropologiae eiusque primae speciei Somatotomiae προδιδαγμασι*. Quibus tyrociniis ex voto positis, in numerum Magistrorum, intra velum qui recitant, relatus est. Cum interea temporis scholas varii generis aperuisset, atque cum frequentia sane magna iuuentutem studiosam docuisset NOSTER, anno MDCCXXII. IV. Nonar. Iunii Collegii minoris Principum Collegiatus designatus est, IO. CVRTIO, I. V. Doctore et Prof. P. qui antea hanc dignitatem habuerat, fatis extincto. Verum colligamus iam sarcinas, atque ad iter accincti, vt comites, sequamur NOSTRVM, exteros quoque visurum. Quam enim ille egregios inter, quibus auctus, quibus functus Lipsiae iam erat, honores diu cogitauerat, peregrinationem, eius emetiendae, nunc tempus aderat. *Non omnis*, vt Maro canit, *fert omnia tellus*. nec omnes vbiuis gentium vel progerminant plantae, vel adolefcunt. Alibi alius frugum, metallorum, animantium, quid? quod hominum prouentus: alius alibi ingeniorum, morum, legumque habitus: alia apud alios studia, aliae artes.

Haec

d) videatur citata iam Oratio Paneg. p. 9.

Professores
atque Prae-
ceptores in
Philosophia
et Philolo-
gia.

Philosophia
Bacc. et
Magister.

Magister
Legens.

Collegiatus
Collegii Mi-
nor. PP.

Peregrina-
tiones.

Haec WEBERVM nostrum minime fugiebant, quin potius probe cognouerat, quantam vtilitatem domum retulerint viri, et prius, et suo aeuo peregrinati. Placebat ipsi haecce mens, vtpote quam non agnatam sciebat, nisi optimae naturae. Plebeias atque humiles istas animas iudicabat, quae domum resident, et affixae sunt terrae suae; diuiniorem vero illam, quae coelum imitatur, et motu gaudet. Quae cum NOSTER sedulo meditatus secum esset, externas quoque Academias adire, in animum induxit. Hoc autem faciendum sibi esse, ducebat, non cum voluptate modo, sed fructu etiam. Vagari, lustrare, discurrere, quiuis solet erro; pauci vero indagare, discere. Id quod vt obseruaret, finem fructumque, quem ibat petitem, ante omnia sibi proposuit. Voluptas vbiuis, et quidem sponte, obuia est; at in vtilitate laborandum, quam nec secuti omnes, nec, qui secuti, omnes assecuti. Hoc animo, hoc consilio, ad celeberrimas, quae in terris Saxonis, gemmae instar in diademate, coruscant, excurrit Academias, anno MDCCXXIII. Primum Leucoream petiit, sacrorum restauratorum *Vitebergensis.* parentem. Audiuit atque compellauit ibi viros in orbe litterario *sis.* maxime illustres, BALTHASAR. MEISNERVM et FRIDERICVM BALDVINVM, quorum in sacra ciuitatem merita amplissima esse, nullus, opinor, ignorabit. Versatus est cum illis ita, vt singulari sua comitate, erat autem ad illam natura propensissimus, non eorum solum animos facillime sibi conciliaret, sed etiam doctrinae opes, Lipsiae collectas, ex doctissimis recitationibus atque colloquiis insigniter adaugeret. Inde transit Ienam, atque eas, quae *Ienensis.* propter Salam florent, Athenas salutauit. Hic quoque loci commodissimam et discendi, et ditescendi, occasionem nactus est. Ad virorum enim, qui ab ingenio atque scriptis multum eo tempore claritatis habebant, ibi profluxit cum notitiam, tum amicitiam. Vt ex compluribus vnum duntaxat eumque summum prodire iubeam, GERHARDVM inprimis, celebratissimi nominis Theologum, sua sibi deuinxit consuetudine. Tantis tamque eximiis peregrinationis suae fructibus instructus NOSTER, iter remetiri coepit, perlustratisque principibus Saxonum Academiis, pristinum tandem, ex quo soluerat, tenuit portum. Vix autem ex itinere redux, virtutis tramite ad honorem denuo incubuit, viriumque accessione fortior quasi, alia certamina sic ingressus est, vt proxima quaeque victoria instrumentum sequentis esse, videretur. Testatur hoc atque confir-

confirmat nouum, quod WEBERVS noster edidit, industriae documentum. Anno enim, supra millesimum, sexcentesium, vicesimo quarto, in eandem, in qua haud ita pridem steterat, arenam descendit. Ventilata nimirum defensioneque ex legum, quas inclyta Philosophorum Lipsiensium Facultas tuetur, praescripto disputatione, illorum Ordini Assessoris nomine adscriptus est. Ast NOSTER iam Assessor Philosophiam licet hucusque maximis haberet in deliciis, inque saluberrimis illius praeceptis addiscendis docendisque, si quis alius, haud postremam operam consumserit, tantum tamen abest, vt odio profecutus sit litteras sanctiores, vt potius iam inde a puero propensus ad eas fuerit ac procliuis. Nam summae religioni sibi NOSTER ducebat, Principum Electorum beneficiis frui, nec simul ostendere, quantum in iis, quae ad pietatem solidamque Numinis Supremi cognitionem spectant, studiis profecerit. Quo igitur longius in Philosophia processerat, eo felicius quoque mentem adiungere poterat Theologiae, dominae omniumque artium facile principi. Neque vero ad sanctissimum hocce studium temerario impetu, illotisque, vt multi hodie solent, manibus accessit, sed Deo exorato, suisque viribus diligenter antea exploratis. Ex Theologis praesertim hic Lipsiae frequentauit VINCENT. SCHMVCIVM, HENR. HOEPFNERVM, quos supra iam honoris causa appellauimus, atque POLYCARP. LYSERVM, magna pietatis iuxta et doctrinae sanctioris Nomina atque Lumina. Quibus summis doctoribus cum ad hauriendas diuinas veritates NOSTER vsus sit, non potuit non, adiuuante summi Numinis gratia, egregia in illis incrementa capere. Voto euentus respondit, quem tuto sperare poterat, exoptatissimus. Perspectis enim in sacrorum oraculorum explanatione eius profectibus, quos Philurea nostra pie veneratur, Theologi, WEBERVM, solito examine strenue perfunctum, Baccalaureum crearunt. Annus erat, quem modo tetigimus, MDCCCXXIV. dies IX. Calendar. Octobris. Hoc autem honore vix maectatus erat NOSTER, et ecce nouum plane decus ipsum manebat. Alius alium excipiebat nominis splendor. Siquidem non ita multo post auctoritate publica illorum Ephorus constitutus est, qui ex munificentia Sereniss. Electorum subsidia literaria quotannis percipiunt, cum ipsemet eorum antea per integrum sexennium fuisset particeps. Praeter haec Ephoro nostro

Assessor Facult. Philosoph.

Praeceptorum in Theologia.

Baccalaureus Theol.

Alumnus Electoralis Ephorus.

nostro

nostro anno cio 150 xxv. Decurionis, et cio 150 xxvi. ^{e)} Clauigeri officia ab Amplissimo Sapientum Ordine demandata sunt. Decani honorem semel adeptus est, Examinatoris autem partes octies sustinuit. Prouinciis hisce se neutiquam imparem indignum esse, vt omnes intelligerent, tanta cum fide, tantaque cum diligentia illis satisfecit, vt quis maxime. Sed, vt ne studiosae iuuentuti operam suam denegare videretur, lectiones recitauit, cum ex Theologico, tum ex Philosophico campo petitas. Vtrasque creberrimis disputationibus et illustrauit, et vindicauit, ^{f)} et confirmauit. In vtrisque frequenti semper gauisus est audientium concursu. Neque minus in sacris orationibus, pro concione habendis, strenue saepius mouit lacertos. Erat autem in eo praeter alia, quae oratorem sacrum commendant, summa suauitas oris ac vocis, vt non solum sermonum argumenta elegante dicendi genere vestiret, sed etiam excellenter pronunciaret. Qua ex re apud externos quoque praeclara de eo nascebatur opinio. Etenim verae Christi doctrinae addictorum coetus, qui Amstelodami apud Belgas Deo colligitur, litteris a NOSTRO flagitabat, vt ecclesiae suae primariam curam in se susciperet. Ast Princeps Elector Saxo, tam eximiae eruditionis virum suis ditionibus reseruaturus, eorum petitis prorsus abnuebat. Quandoquidem NOSTER ea iam erat aetate, vt de eo bene sperare, quid? quod confidere possent omnes, talem futurum, qualem cognitum iudicauerant. En quantum famae ab extraneis, en quantum gratiae a Patriae Patre consecutus sit Weberus? Rebus ita comparatis, nemo dubitare sustinuit, fore, vt splendidae cuidam prouinciae, siue ad litterariam, siue ad sacram ciuitatem illa pertineat, breui praeficiatur. Id quod opinione citius euenit. Anno enim cio 150 xxvii. Mutinam vocatus est, oppidum in Misnia haud ignobile, ad gerendum ibi Pastoris munus, hac lege, vt Superintendentis, qui Grimmen- sibus sacris praeerat, vicarias simul partes sub Adiuncti nomine exequeretur. Ecclesiastico huic officio pro ea, quae in verbi diuini ministerium cadit, dexteritate per integros septem annos quam diligentissime suffecit. Ante vero quam Mutina ad aliam, eamque grauiorem, dignitatem Ecclesiasticam abiret NOSTER, anno

*Fac. Phil.
Decanus
atque Clauiger.*

*Vocatio
Amstelodamensis.*

*Pastor Mutinensis et
Superint.
Grimm.
Adiunctus.*

*Theologiae
Licentiat.*

B

CIO 150 XXXIV.

e) Conf. FREHERVS in Theatro viror. eruditione Clarorum fol. 650.

f) Luculentissime hoc confirmant atque testantur disputationes, inter Diui WEBERI scripta, quae infra recensita accipies, sub numero II. allegatae,

X

MDCCXXXIV. die VIII. ante Idus Februar. vna cum quinque aliis, g) inter quos tertium locum tenuit, Licentiam summam in Theologia honores consequendi, adeptus est, praeuia disputatione *de Evangelio salutis.* h) Anno eodem sacrorum Leisnicensium super-

Superintendens Leisnicensis.

Deducimur nunc ad ea tempora, quae NOSTRO luctuosissima fuerunt. Dicitur non potest, neque verbis satis describi, cum quot, quantisque miseriarum fluctibus Leisnicae ipsi fuerit conflandum. Nam funestissimo illo, atque, sicut toti Germaniae, ita Saxoniae imprimis, maxime exitioso, tricennali bello, in summa rerum discrimina, ingentesque calamitates demersus est vir probitatis atque sanctimoniae caeteroquin retinentissimus. Inter medias haec aerumnas, quibus NOSTER vndique premebatur, fortunae ictu tam vehementer aliquando perculsus est, ut vel vna die qualescunque eius opes ab hoste decies diriperentur. Cui malorum

Incendium.

iliadi accessit incendium, a Suecis militibus excitatum, quo non ea solum, quae a praedonum manibus intacta adhuc supererant, sed etiam vniuersa librorum supellex, magno pretio comparata, in cineres redigebantur. Ad veritatem huius rei confirmandam audiamus ipsum WEBERVM nostrum, de miserrima conditione sua ita conquestum: *Sexto, inquit, urget me quoque priuata angustia; Leisnigae enim bona mea exigua igni absunta sunt.* i) At opibus licet et bello, et igne spoliatus Noster esset, fortunae tamen, eiusque insultibus, nequitiam succubuit. Multo magis spem aluit certissimam, fore, ut, qui omnium rerum conditor est, amissa, si ita videatur, facillime reddere valeat. Nec defuit expectationi euentus.

Archidiaconus ad S. Thom. Lips.

Etenim anno MDCCXXXVII. MAVRITIVS BURCHARDVS, qui Archidiaconi officio ad aedem St. Thomae huc dum functus erat Lipsiae, diem supremum obiit. Atque, cum Magnificus Senatus virum circumspiceret, huic muneri parem, re suffragiis permissa, WEBERVS noster prae caeteris dignus habitus est, cui vacua mandaretur prouincia. k) Capessuit illam anno MDCCXXXVIII.

Inse-

g) Horum nomina cogniturus adeat VOGELIVM in Annal. Lips. p. 513.

h) Plenius inscriptam hanc disputationem suppeditabit infra Syllabus scriptorum Diui num. VII.

i) Extat haec querela in Epistola WEBERI ad D. HOE autographa prima, quam infra subiunximus integram.

k) Hac occasione non possumus non simul obseruare errorem, in notissimo illo Erudito-

Insequente anno pridie Calend. Iul. ab Electore Serenissimo in locum D. BAVERI, Theologiae Professor declaratus est in Aca- *Theol. Prof.*
 demia Lipsiensi quartus. Anno autem eiusdem saeculi quadrage- *IVtus.*
 simo, ad supremos in Theologia honores adspiravit, quibus etiam *SS. Theol.*
 pridie Calend. Octobr. a Venerabili Theologorum Lips. Ordine, *Doctor.*
 dicto anno, rite affectus est. Inter quinque alios, ¹⁾ quos in hac
 solemnitate socios habuit, primum NOSTER sibi locum vindica-
 vit. Disputatio eapropter edita inscribitur: ^{m)} *De Conuersione ho-*
minis irrogeniti. Tanta dignitate ornatus, tantisque officiis admo-
 tus WEBERVS noster, Theologiae iam Doctor atque Professor, in
 tributis sibi muniis praeclare omnino sese gessit. Siquidem, nec
 in prouehenda sanctioris, qui concreditus ipsi erat, coetus salute,
 nec in docenda iuuentute studiosa, suam fidem vnquam passus est
 desiderari. Biennio nondum penitus elapso, accidit, vt non mi-
 nus vniuersae Saxoniae, quam Academiae, praemature fato eripe-
 retur Lumen illud fulgidissimum, ⁿ⁾ D. HENR. HOEPFNERVS, vir
 tantae eruditionis, vt ipsi ea aetate anteferendus fuerit nemo, pau-
 ci pares putandi. Sed praestat de tanto nomine tacere, quam pau-
 ca quaedam, eademque manca, commemorare. Celeberrimo hoc
 viro anno MDCCXLII. demortuo, WEBERVS noster Professionem *Theol. Prof.*
 in Theologia tertiam, vna cum Canonicatu Cizensi, obtinuit. Post- *Tertius et*
 ea vero quam ^{o)} IEREMIAS WEBERVS, Theol. Licent. ac Prof. *Canon. Ci-*
 Extraord. nec non ad St. Nicol. Archidiaconus anno MDCCXLIII. *zensis.*
 die XIV. Cal. April. e viuis excesserat, noster ANANIAS WEBE- *Archidiac.*
 RVS in eius locum a Senatu surrogatus est. Decanatui, qui per *ad S. Nic.*
 B 2 Theo-

Eruditorum Lexico edit. Lips. obuium, vbi asseritur, WEBERVM ex Leisnica vo-
 catum Lipsiam, Archidiaconi officio statim adnotum esse. Ast non solum ex Vi-
 tae Cursu, sed etiam ex Concione Valedict. a NOSTRO ante discessum Li-
 psiae habita, abunde liquet, WEBERVM primum Archidiac. ad St. Thom.
 et deinceps, mortuo IEREM. WEBERO, Archid. ad S. Nic. demum euasisse.

1) Legatur VOGELIVS l. c. p. 576.

m) Conf. Catalogus scriptor. Weberianorum num. X.

n) Consummatissimum huncce Theologum, cuius virtuti ac doctrinae gloria
 aeterna debetur, eximiis praeconiis ornarunt Duumviri in orbe litter. laude
 non minores: B. WERNSDORF. in Praefat. ad Hoepfneri tract. de Iustificacione
 hominis peccatoris. B. MAYERVS in Elogio Hoepfneri, praemisso eius Isagogi
 ad salutarem vsum Coenae Domini.

o) Hic IEREMIAS quem Lipsiae natum esse ex Lex. Erud. didicimus, a nostro
 ANANIA plane diuersus fuit, neque constat, vtrum se inuicem cogna-
 tione attigerint.

*Decanus
Fac. Theol.*

Theologos in orbem ire solet, non praefuit, nisi semel. Rectoris autem Purpuram adipisci non potuit, temporis, quo Professoris spartam ornauit, exclusus angustia. Quod restat, silentio praeter- eundos neutiquam putamus labores, quibus NOSTER Academiae pariter atque Ecclesiae haud exiguam attulit vtilitatem. Pro no- stris sacris omnes fere D. PAVLI epistolas, tam succinctis, quam dilucidis concionibus, maxima semper cum auditorum frequentia, explicuit. Ob dulcedinem enim concionandi, Serenissimo Electori IOANNI GEORGIO, aequae ac summo, qui sacra Saxonica moderatur, Senatui semper fuit acceptissimus. Pollebat in eo verborum suauitas, rerum dignitas, argumentorum grauitas, copiosae varia- tionis facultas. Quae insuper sermonis virtute, quae rationum effica- cia, depressas afflictorum mentes excitauerit, et ad verum in fide gau- dium mansuetissimas reduxerit, verbis sat digne exprimi vix potest. Ut taceam caetera negotia, quae muniorem ratio imposuit, non

*Lectiones et
Collegia
Theolog.*

minori cum industria ab ipso curata. In cathedra autem Acade- mica, exceptis, quas iam attigimus, epistolis, Leuiticum, omnium interpretum calculis difficillimum intellectu librum, ^{p)} neruoso Commentario, integrum explicuit et illustrauit. Singulari etiam cum diligentia Augustanam Confessionem et Formulam Concor- diae intra priuatos parietes docuit, magna studiosorum turba stipa- tus. Vniuersum SS. Theologiae Systema, Thesin orthodoxam, et simul Antithesin Pontificiorum, nec non Calvinistarum hetero- doxam, complexum; item aliud Systema Theologicum, accuratio- ri methodo et paedica, ordineque didascalico conficiendum, prae- cipua cum laude et nominis fama iuuentuti communicauit erudi- tae. Cogitando fuit subtilis, disputando, si quisquam, adeo acutus, vt aduersarii, Ignatiani maxime Sodales, elenchum eius perferre nunquam potuerint, tanquam coecutientes sudum diem ac solis radios. Hinc factum est, vt amplissimis summae eruditionis sum- morumque in puriorem Dei Ecclesiam meritorum testimoniis con- decoratus sit NOSTER ea aetate ab excellentissimis Theologis, ^{q)} D. HOE, HVLSEMANNO, DORSCHHO, atque ipso ^{r)} Proto-Syne- drio

p) Videatur Cursus vitae p. 76.

q) Quanti Summe Reu. HOE, Sacror. Saxon. primarium t. t. Antistitem, cum propter exquisitam eruditionem, tum ob singularem in tuenda puriori doctri- na ardorem, fecerint Ser. Elector, omnesque, qui ea aetate floruerunt, Theo- logi, ex parte innotescet ex epistolis D. WEBERI infra allatis.

r) Hoc testimonium, quod profecto omni exceptione maius est, in medium

drio Electorali. Prius vero quam illius ex Saxonia discessum enarrare ingrediamur, id praemonendum omnino videtur, binas esse vocationes, quibus diuus noster WEBERVS ab inclyto Vratislaviae ^{Vocatio Vratislaviensis.} Senatu, sed ad diuersa officia, atque diuerso tempore, sollicitatus est. s) Primum quidem Senatus litteris ad Nostrum datis mentem eius explorauit, an officium Pastorale in templo Mariae Magdalenae suscipere vellet. Ast, cum ob additam silentii conditionem alios in consilium ea de causa adhibere non posset, id non in suo arbitrio positum, sed Principem Electorem adeundum eapropter esse, respondit. Quo factum est, vt praedictus Senatus a suo proposito desisteret, eo magis, quod timebat, ne precibus suis refrageretur Serenissimus Elector. De tempore, quo munus hocce oblatum est NOSTRO, certo nobis non constat. Deinde, vbi CHRISTOPH. SCHLEGELIVS, Ecclesiastae ad S. Elifabethae et Linguae S. Professoris officio hucdum perfunctus, Pastor atque Praepositus ad St. Bernhardini euaserat, in nouam sollicitudinem coniectus est inclytus Vratislaviae Senatus de viro obtinendo, qui ad subeundum Ecclesiastae munus non idoneus solum esset, sed etiam M. IOACHIM. FLEISCHERVM, primarium Pastorem totiusque Ministerii Seniore, viribus exhaustum, negotiorum onere leuaret. Sed inter alios dignissimus omnium visus est Senatui Noster WEBERVS. Hinc Reipublicae Vratislaviensis nomine denuo ad ipsum litterae perscriptae sunt, petentes, vt, qui vacaret, locum supplere, haud dedignaretur. Inclytus autem Senatus, tantum tamque eximium virum ex Saxonia non dimissum iri, nisi copia illius antea

B 3

data

hic loci proferre nobis liceat. Perhibuit illud, qui res Saxonum Ecclesiasticas Dresdae curat, Senatus Summus apud Sereniss. Electorem, vt eo facilius in abitum Nostri consentiret: WEBERVM, ait, esse Virum Sedulum strenuumque, et in Theologia solide fundatum, in Linguis, Ebraica, Chaldaica, Syriaca, Graeca valde Expertum et Exercitatum, esse Eum quoque concionatorem bonum et perquam amoenum, qui per aliquod temporis spatium studiosae iuuentuti summa cum industria praefuerit, Vniuersitati quoque et Ciuitati magno ornamento vixerit: vnde non dubitandum, magnum ipsis in posterum quoque emolumentum ab eodem posse, Deo iuuante et benedicente, accedere. Quibus haec statim subiiciuntur verba: An vero esse potest inter nos, qui magna Viri merita non abundanter satis ex illustri hoc Testimonio perspiciat. Occurrunt haec atque legi possunt in Orat. Paneg. pag. 3. Cui addatur Vit. Curf. p. 78, 79.

- s) Momentum hocce, in Vita D. WEBERI neutiquam praetereundum, edocuit nos autographa eius epistola, quam inferius sub numero VI. integram exhibuimus.

XIV

data sit ab Electore, minime ignorans, ad ipsum quoque Sereniss. Principem libellum supplicem mittendum curavit. Atque in eo licet ab Electore precibus contenderet, quibus poterat, maximis, ut WEBERO nostro Vratislaviam transeundi concederet potestatem, parum tamen abfuit, quin repulsam ferret. ^{t)} Diu vero multumque fatigatus Princeps, illius petitioni locum reliquit. En, quanto favore quantaque gratia apud Patriae Patrem floruerit NOSTER! Rebus ita constitutis, redditisque, quibus publica auctoritate Vratislaviam ad munia supra dicta vocabatur, litteris, anno MDCXLV. d. VIII. ante Idus Ianuar. festo Epiphaniae ^{v)} valedictoriam suam concionem ex vmbone ad suos auditores habuit, qui, si vnquam alias, hac certo vice suum amorem, vel lacrimis, testati sunt. Inscripsit illam: Sacer Colophon Ministerii Lipsiensis. Interea temporis magis magisque profectioem adornat, vtpote quam citius quidem iniisset, nisi ex variis causis differre eam paulisper, coactus esset. *Restant enim, scribit NOSTER ad D. HOE, adhuc aliqua cum in publicis, tum in priuatis ante discessum expedienda. Obstant etiam exercitus Caesarianus et Suecicus, hinc inde vagantes et grassantes, quorum manus timeo, visurus prius, quo caput suum vterque sit moturus, ne forte praeda ipsorum fiam. Taceo etiam dierum breuitatem et tempestatis aduersitatem non parum iter meum retardare et impedire.* ^{x)} Elapsis autem feriis natalitiis, Deo duce, itineri se commisit, id quod etiam ex animi confecit sententia. Simul igitur atque WEBERVS Vratislaviae aduenisset, ad Ecclesiae officium, demandatum quod ipsi erat, exequendum et administrandum, sine mora sese accinxit. Auspicatus illud est XI. Calend. Mart. die, quae Sexagesima audit, dominica, concione hunc prae se ferente titulum: Bonus Doctor et Bonus Auditor. ^{y)} Professionis vero Theologicae primordia VIII. demum ante Idus Aprilis solemniter cepit oratione. Anno eiusdem saeculi XLV. ad finem vergente, IOACHIM. ELEISCHERVS ex nimia senectute de vita migravit, atque WEBERVS NOSTER ipsi ab inclyto Senatu, Ephori nomine

Concio Va-
ledictoria.

Ecclesiastes
ad S. Eli-
sabethae at-
que

Professor
Theol.

Pastor su-
premus et

t) Testatur hoc M. ADAM. PANTKE in Biographia Pastor. Inspector. et Assessor. Vratisl. ad S. Elisab. pag. 55.

v) Vid. VOGELIUS in Annal. Lips. p. 619.

x) Ita scribit WEBERVS ad D. HOE in epistola quadam authentica, cuius argumentum inter reliquas, ad calcem huius libelli adiectas, octaua fuit.

y) vid. Syllabus scriptor. Web. num. XVIII.

nomine, susceptus, omnem de Ecclesiis Scholisque Vratislauen-
 fium inuariatae A. C. addictis, V. ante Idus Aug. in se suscepit
 curam. Munia haecce summa pariter atque grauissima tanta fide ac
 diligentia integros viginti annos Ephorus NOSTER sustinuit, ut
 nemo eorum, qui antecesserant, magis. Verum, vbi anno MDCLXIX.
 IV. Id. Aug. die Laurentio sacra, nonam inter atque decimam matu-
 tinas horas, ad aedem St. Elisabethae, tria, quibus vniuersi aedificii
 moles ex parte innitebatur, sublicia ex improviso ²⁾ corruissent,
 cultus diuinus motus inde est, atque interiecto tempore peractus
 in templo St. Barbarae dicato. Aede autem maximis impensis in-
 tra integrum, et quod excurrit, biennium ab inclyto Senatu restau-
 rata, WEBERVS NOSTER ad sacra, in eadem facienda, bono cum
 Deo rediit. Euenit hoc MDCLII. XIV. Cal. Febr. De rebus Ec-
 clesiasticis monendum adhuc superest, eas, WEBERO Inspectore,
 variis vicissitudinibus obnoxias fuisse, etiamsi in Pacis Religiosae ta-
 bulis MDCXLVIII. Vratislauenfium sacris insigniter prospectum
 sit atque consultum. Sed, cum harum rerum narratio ab instituto
 nostro longius nos trahere videatur, eam paucis duntaxat attinge-
 re, quam copiosam sistere, maluimus. Transeamus nunc a labo-
 ribus DIVI ad fortunas, quibus haud exigua incrementa accesserunt
 ex auspiciatissimo ^{a)} eodemque gemino, quod contraxit, ma-
 trimonio. Iunxit sibi in eo, cum rerum conditio ita posceret, pri-
 mo Ecclesiae muneri admotus, anno nimirum MDCCXXVII. die VI.
 Cal. Sept. virginem et morum probitate, et elegantiarum inte-
 gritate maxime conspicuam, CHRISTINAM, CORNELII BECKE-
 RI, SS. Th. Doct. Prof. P. et Pastoris ad St. Nicol. apud Lipsien-
 ses meritissimi, filiam natu minimam, parente tunc orbatam. Su-
 cepit ex ea tria masculi, vnum vero foemelli sexus pignora. Fi-
 liorum natu secundus, qui IO. CHRISTOPHORI nomen gerebat,
 viuo adhuc Patre, puer admodum morte abreptus est. Reliqui
 duo

2) Copiosius haec enarrantur a PANTKIO l. c. p. 56.

a) Condita sunt harum nuptiarum occasione a Viris, cum apud Lipsienses, tum
 apud exteros maxima munia sustinentibus, in honorem NOSTRI XLII. Epi-
 thalamia, quae continentur libello, hoc nomine decorato: *Ευλογίαι γαμικαί*
 ad thalamum consueta solemnitate exstructum Reuer. et Eximii Viri Dn. M.
 ANANIAE WEBERI SS. Th. Bacc etc. Sponsi, nec non Lectissimae ac
 Pudicissimae Virginis CHRISTIANAE etc. Sponsae ad d. 27. Aug. A. C.
 N. 1627. solemnem nuptiarum Festiuitatem christiano ritu et omine felici
 Lipsiae celebrantium, declarandae *συγχαιροσύνης* ergo decantatae a Fau-
 toribus, Affinibus et Amicis,

*Inspector.
Ecclesia-
rum de
Scholar.
Vratisl.*

*Vicissitudi-
nes Eccle-
siasticae.*

*Coniugium
prius.*

Proles.

XVI

duo sunt CHRISTIANVS et IO. CORNELIVS. Ille aetate grandior ^{b)} fuit SS. Th. Doctor, primum apud Vratislavienses Diaconus ad St. Elisabethae, dein ibidem Archidiaconus atque Senior, postea Pastor ad St. Bernhardini, nec non Praepositus ad Spirit. S. simulque Consistorii Evangelici Assessor, tum SYLVIO FRIDERICO, Olsnae Principi, a Concionibus aulicis consiliisque Ecclesiasticis, Hagio-Synedrii Assessor Primarius, totius Principatus Olsnaensis Superintendens, et tandem Gymnasii, recens a Principe instituti, Prof. Th. primus, de omnibus, quae ornauit, officiis immortaliter meritis. Ex vita excessit MDC LXXXIX. relictis vna filia vnoque filio, Canonico deinceps Magdeburgensi. Hic vero IO. CORNELIVS, filius D. WEBERI NOSTRI nati minor, artem salutarem amplexus, non supremos solum in Philosophia et Medicina honores, sed etiam Consiliarii dignitatem ab Imperatore Roman. consecutus est. Morbos quam felicissime apud Vratislavienses curauit, et, quam inde adeptus est, nominis sui famam retinuit vsque ad extremum vitae diem, quem obiisse dicitur anno MDC LXXXIV. Filia MARIA ELISABETHA, coniugio, citra dubium faustissimo, V. Id. Nou. MDC LL. nupsit IO. MAVCKISCHIO, SS. Th. Doctori, Profess. atque Rectori Gymnasii et caeterarum Scholarum apud Gedanenses spectatissimo, nec non Pastori ad aedem SS. Trinit. Vigilantissimo, Viro et de eruditionis omnigenae copia, et de sincero conseruandae in religione puritatis studio longe Celebratissimo. En, quam nobilis, quamque generosa prosapia profecta sit ex genere Diui nostri WEBERI! Priori autem Coniuge post puerperium filii Ioh. CORNELII e viuis erepta, c. 1030 xxxv. secundas nuptias celebrauit cum ANNA MARIA HORSTIA, MARTINI HERTSCHII, Praefecti Electoralis Mutinensis, vidua, quam sine liberis reliquit superstitem. Peruenimus iam ad vltima, quibus huic mortalitati interfuit NOSTER, tempora, ipsamque mortem commemorandam. Cum variis licet morborum generibus per totius vitae periodum conflictatus fuerit, diuina tamen gratia, quam supplex semper veneratus est, no-
Filius nati maior.
Nepos.
Filius nati minor.
Filia eius-que Marius.
Coniugium posterius.
Vox et Visio nocturna uas ipsi subinde vires impertiuit. Sed liceat nobis, rei notatu sane dignissimae mentionem prius iniicere, quam de praematurae eius

b) Vitam illius a honores vberius memoriae prodidit PANTKE in Biographia Praepositor. ad Spir. S. p. 49. ff.

eius obitu exponamus. ^{c)} Est illa visio quaedam nocturna, atque vox mortis imminentis nuncia. Sexto enim, qui vitae finem praecessit, mense, tum ex morbo articulari, tum ex familiari illo eruditio malo, quod in hypochondriis faeuit, adeo graues dolores perpessus est D. WEBERVS, vt nec quietem ipsi indulgerent, nec somnum. Hinc sese Deo, vt antea semper fecerat, totum denuo consecrauit, adiunctis precibus, quibus eum flagitabat, vt sese corporis solutum vinculis, ad beatissimas illas vitae aeternae sedes transire, haud dedignaretur. Ecce vero, cum insomnis talibus de morte cogitationibus intentus esset, non videtur sibi solum audire hanc vocem coelitus quasi delapsam: LIBERABO TE; sed animaduertit etiam manum, ex pariete cubiculi sui porrectam, tenentem clepsydram quatuor horae quadrantum, cuius duae partes exoneratae erant, reliquae vero binae, quae semihorium explent, restabant integrae. Quam visionem satis diu oculis sibi obuersantem, licet domestici merum somnium fuisse dictitarent, ipse tamen obitus sui notam interpretatus est WEBERVS NOSTER, vates hac in re veracissimus. Quemadmodum enim duae partes in horologio residuae erant, ita et dimidia anni pars supererat, quam in turbulentissimo huius orbis statu viuendam Beatissimus Vir adhuc habebat. Siquidem exacto semestri post illam visionem spatio, quem tamdiu anhelauerat, vitae terminus subsequutus est. Quanto autem propius accedebat supremum vitae momentum, tanto vehementius a catarrho quodam, qui Medicis audit, apoplectico infestari *Morbus.* coepit. Arcessiebantur salutaris artis periti, vt infirmitati remedia opponerent celeria atque facilia; sed non sustinuit natura impetum, viribusque debilitatis, vis morbi ingrauescentis refringi haud potuit. Morti itaque vicinum se cum NOSTER persentisceret, nil magis, quam abitum, meditatur, eaque propter pabulo sacro refici, desiderat. Quo coelesti viatico instructus, suisque bene precatus, memorato supra catarrho corripitur, atque deuotas inter adstantium preces, nec non acerbissimos domesticorum planctus in CHRISTO Sospitatore decessit. Fuit dies VII. ante Calend. Febr. anni *Obitus.* a reparato gaudio MDCLXV. Hoc die obiit diem Theologus *Aetas.* post fata immortalis. Expleuit his in terris aetate LXVIII. annos, V. menses, XII. dies. Praeclarum atque strenuum verbi diuini ministrum sese praestitit XXXIX. annos. Exuuias illatae sunt in aedem

C

c) Legatur Vitae Cursus p. 86.

XVIII

- Sepultura* aedem St. Elifabethae consecratam, humoque mandatae proxime aram: id quod accidit die IV. ante Non. Febr. Vita defuncto honores non defuerunt maximi. Mors eius amplissimis exequiis decorata, atque ad St. Mariae Magdalenae a M. MICHAELE HERMANNO, DIVI successore, ad St. Bernhardini a M. GEORG. SEIDELIO, et ad St. Elifabethae a M. ADAMO EZLERO tribus diuersis concionibus funebribus cohonestata est. Ingenti praeterea naeniarum copia Diuus NOSTER WEBERVS et comploratus, et desideratus, et collaudatus. Confirmant hoc suo testimonio, vt de reliquis fileam, XLIV. Epicedia *) a nonnullis Gymnasii Elifabethani Alumnis aeternae memoriae D. WEBERI dedicata. Sed supremos hosce honores tanti Theologi manibus non inquilini solum exhibuere, sed exteri etiam. In his Academiae Lipsiensis Proceres WEBERO beate demortuo religiosa imprimis iura tribuerunt. Quantopere enim Philurea nostra viuum coluerit, extinctum moeruerit, satis testatum reddit oratio^{d)} grauissima quam VII. Cal. Febr. MDC LXVI. in Collegio Maiori P P. recitauit SAMVEL LANGIVS, Th. Doct. et P. P. Ordinis sui t. t. Decanus, auctoritate publica ad has dicendi partes delectus. Caeterum egregia fidei confessio, qua Diuus NOSTER et mire gauisus, et animum in rebus aduersis haud parum solatus est, meretur sane, vt eam subiungamus. Erat illa tam latino quam vernaculo sermone hunc in modum metro adstricta:

In IESV mea vita meo, mea clausula vitae

Est, et in hoc IESV vita perennis erit.

In IESU leb ich hier, in IESU schlaff ich ein,

In IESU soll auch dort mein ewig Leben seyn.

Neque

*) Congesta sunt funebria haecce carmina in vno fasciculo, qui inscribitur; Aeternae Memoriae Viri Plur. Reu. Dn. ANANIAE WEBERI SS. Th. Doct. etc. A. C. MDCLXV. VH. Cal. Febr. pia justorum morte defuncti, nonnullor. Alumnor. Gymnasii Elifabethani dedicata Epicedia. Vratisl.

d) Non ingratum, confido, erit, si huius Orationis argumentum breuissimis h. l. perstringamus. Vertitur autem illius cardo in eo praecipue, vt Vener. Auctor non minus elegantem, quam illi saeculo solemnem, σύγκρισιν instituat Timotheum inter, Paulum, Polycarpum, Chrysostrum, viros sanctissimos, atque B. WEBERVM, inque eo praestantissimas illorum virtutes, primi sc. pietatem, secundi grauitatem, tertii fertilitatem, et quarti denique suauitatem, ad vnam omnes amico quasi foedere consociatas fuisse, euictum dare nitatur. Occasionem depromsit ex Fastis, a XXIV. vsque ad XXVII. Ianuar. illorum IV. virorum memorias continua serie referentibus.

Neque vero etiam silentii peplo inuoluendum putamus, quo D. *Symbolum*
WEBERVS vsus esse dicitur, symbolum;

Auctori vitae viuendum Deo,
Hisce omnibus subnectere tandem nobis licebit elegans, quod de *Anagramma*
eo habetur, Anagramma, ^{e)} cuius ope ex verbis:

ANANIAS WEBERVS DOCTOR THEOLOGIAE:
solerter transpositis, sequens enascitur sententia:

Es Iehouae tuba et coronandus gloria.
Epitaphium ^{f)} in honorem DIVI ad St. Elisab. prope altare extru- *Epitaphium*
tum hanc scripturam, lapidi incisam, in fronte gerit:

ANANIAS WEBERVS, SS. THEOL. DOCTOR, INCLY-
TAE ACADEMIAE LIPS. PASTOR ET PROFESS. PVBL.
HINC CIVITATIS VRATISLAV. AD S. ELISAB. PASTOR,
ET PROFESSOR. ECCLESIAE. ET GYMNASIOR. VRBIS
INSPECTOR, ET SCRIPTIS EGREGIIS ET MERITIS
PRAECLARIS NOTISSIMVS CELEBERRIMVSQVE, MA-
RITVS PRIMVM CHRISTINAE BECKERIAE, DEINDE
ANNAE MARIAE HORSTIAE, CLARISSIMI NOMINIS
PARENTIBVS ORIVNDARVM; PARENS LIBERORVM
EX ILLIS IV. OMNI LAVDE FLORENTIVM, VITAE ET
MVNDI SATVR, AETERNITATIS AC COELI CVPIEN-
TISSIMVS, ANIMAM CHRISTO REDEMPTORI RED-
DIDIT, CORPVS HIC SITVM TERRAE RELIQVIT, A. C.
1675. D. XXVI. IANVAR. CVM ANNOS LXVIII.
MENS. V. D. XII. MORTALIS INTER MORTALES VI-
XISSET. TV QVISQVIS HAEC LEGIS MORTALEM TE
ESSE COGITA, ET IMMORTALEM.

Praecipua igitur momenta, cum in vita, tum in morte B. ANA-
NIAE WEBERI obuia, verbis, quam fieri potuit, breuissimis verif-
simisque executos, adhuc mentionem adiicere nos oportet scri-
ptorum, ab eo litteris consignatorum. Ast quo pauciora illa sunt,
eo vberiori solidae, et in Philosophia, et in Theologia, doctrinae
apparatu referta, deprehendes. Volumina, quae decus suam non

C 2

mu

e) Conf. PREHERVS in Theat. Vir. Erud. Clar. p. 650. vbi simul ex C A-
SPARIS CVNRADI Med. Doct. Profopographia Melica hoc Distichon in
Diuo honorem conscriptum exhibetur:

Lipsia me tenuit, genuit Lindhayna, Budorgis
Post varios casus legit, et ossa tegit.

Effigies D. Weberi apud eundem Freherum Spectari potest l. c. p. 636.

f) vid. MATTHAEVS HANSY in Memoriis Concionatorum Evangelico-
Lutheranorum apud Vratislavienses p. 14.

mutuantur, nisi a spissitudine, nec confarcinavit, nec in lucem unquam emisit. Etenim ab effreno illo, quo multi hodie ad conficiendos libros abripiuntur, pruritu longissime remotus, maximam temporis partem in obeundis rite officiis consumsit, neque quidquam publici iuris fecit, nisi, si quod muneris sibi deposceret ratio. Interim tamen, quae typis excudenda curavit, scripta non mole, sed utilitate, non vaga verborum circuitione, sed subtili concinnitate, sese ita tuentur, ut an limatius quid iis reperias, iure dubitem.

Scripta. Fidem assertis faciunt sequentia;

I. Disputatio de Natura Philosophiae Practicae, et in specie de Doctrina Morali, quae ἠθικὴ dicitur. Praef. M. IO. MULLERO Pract. Phil. Prof. Lips. MDCCXVII. pl. 4.

II. Διασκέψεων Ἀνθρωπολογικῶν Exercitationes:

1. de Anthropologiae eiusque primae speciei Somatotomiae προδιδάγματα. Lips. MDCCXXI. Resp. Corn. Beccero Lips. pl. 3.

2. de Spiritibus et Humoribus tam Alibilibus, quam Excrementitiis. Loco annoque citatis. Resp. Linckio, Franc. pl. 3.

3. de Partibus Similaribus propria consistentia terminatis in genere, et in specie de viventibus spermaticis πρὸς φύσιν similaribus plerisque L. A. Q. C. Resp. Martin. Schmuccio, Lips. pl. 3.

4. de Arteriis, Neruis, Carne, Adipe, Cute, et Partibus confamilibus non viventibus. L. A. Q. C. Resp. Io. Georg Krieg, Meininga-Franc. pl. 3.

5. de Ventre infimo eiusque partibus tam nutritioni, quam generationi ancillantibus, ut et pedibus proxime cum eodem cohaerentibus. L. A. Q. C. Resp. Cyriaco Engelheupt, Smalcald. Franc. pl. 3.

6. de Thorace s. medio Ventre, eiusque Partibus vitae et facultati vitali famulantibus; ut et partibus externis proxime cum eo cohaerentibus. Lips. MDCCXXII. Resp. Io. Frid. Weisio, Coburg-Franco. pl. 3.

Quas modo allegauimus, exercitationes, oculis usurpare easque separatim, nobis licuit. Reliquas vero, quarum numero VI. supersunt, euoluendi videndique cum nobis defuerit occasio, illarum, titulis recensendis, quamuis inuiti, supersedere cogimur. Interim hoc pro explorato habemus, eas coniunctim produsse, hoc nomine insignitas:

Colle-

Collegium Anthropologicum XII. Disputationibus absolutum.

- Lipf. cio ioclxvii. 4to
- III. Disputatio de Visu. Lipf. MDCXXIII. Resp. Frid. Tüntze-
lius, Lipf. pl. 3.
- IV. Disp. de Propositione necessaria. L. A. Q. C. Resp. Lud.
Sam. Rechtenbach, Longofalza-Thuring. pl. 2.
- V. *Ὀνειρολογία* h. e. Dissert. de Insomniorum Natura et Signifi-
catione. Lipf. MDCXXIV. Resp. Ioachim. Pollione, Vra-
tislau. pl. 2.
- VI. Problema Theologicum de Auctoritate diuina et infallibi-
li verbi Dei scripti, vnde a nobis cognoscatur verbi Dei scri-
pti diuinitas et canonica auctoritas? contra Iac. Gretserum,
pro prima in Theol. Laurea collata Praef. D. POLYC. LY-
SERO, Lipf. MDCXXVI. pl. 7.
- VII. Euangelium salutis s. Laetissimum de Salute nuncium, cer-
tistheorematis ad disputandum propositum pro Licent. Lipf.
MDCXXXIV. d. V. et VI. Febr. pl. 4.
- VIII. Resurrectio mortuorum fiducia est Christianorum s. con-
cio funebris ex Rom. VIII, 11. in Exequiis Io. Ioachimi Geh-
ring, Mercatoris. Accedit: Piorum lachrimosa Satio et glo-
riosa Messio ex Ps. CXXVI, 5. 6. in funere Kunigundae, dicti
Gehringii Vxoris. Lipf. MDCXXXVIII. pl. 10.
- IX. Ecclesia et Academia Lipsiensis Lutherano-Euangelica s.
Oratio Saecularis in Iubilaeo Eccl. et Academiae Lipf. primo
in templo Paul. Acad. ipso die Pentecostes habita. cio iocxxxix.
typis repetita cio iocccxxxix.
- X. Synopsis Doctrinae Orthodoxae de Conuersione hominis
irregenti contra *ψευδοδοξίαν* Pelagianor. Pontificior. Synergi-
star. Socin. Armin. Caluinist. etc. ex Canone Scripturae bre-
uiter assertae et confirmatae, certis thesibus inclusa, et in Actu
Docturae d. XXX. Sept. MDCXL. proposita; dein pro Loco
in Fac. Th. consequendo placida *συζητήσσει* et *συμφιλολογία* d.
XIIIX. Febr. MDCXLI. subiecta, Resp. M. Sam. Langio,
Lipf. pl. 8.
- XI. Scientiarum Scientiae de Salvatore Christo Diff.
- I. Praeliminaris *τὸ ὅτι* Aduentus Messiani in carnem et hunc
mundum ex Criterio illo maxime publico et manifesto,
Ablatione scil. Sceptri et Legislatoris a Stemmate Iudai-
co,

- co, Genes. XLIX, 10. proposito contra Iudaeos *κατὰ Ἰουδαίους* et *ἀνὰ Ἰουδαίους* deducens et demonstrans. Resp. M. Io. Mauckisch. Freiberg. Lips. MDCXLII. pl. 8.
2. Praelim. τὸ ὅτι Aduentus Messiani in carnem ex Criterio illo insigni, Completione scil. LXX. septimanarum Danielis cap. IX, 24. 25. 26. et 27. determinatarum et rerum intra illas ac breui post peractarum demonstrans. Resp. M. Georg. Moebio, Laucha-Thuring. MDCXLIII. Lips. pl. 7.
3. Praelim. τὸ ὅτι Aduentus Messiani in carnem demonstrans, p. ex tertio criterio loci nempe natiuitatis Christi delecti, p. ex quarto criterio loci et templi conuersationis Messiae destructi, p. quinto ex argumentis topicis a Iudaeor. aliorumque testimoniis desumptis simulque refutans Iudaeorum Exceptiones et argumenta generalia potissimum, quae contra aduent. Mess. in carn. factum opponunt, et proponens usum, ex certitudine Messiae exhibiti in mundum redundantem, valedictionis loco proposita. Lips. die 10. Iulii MDCXLIV. Resp. M. Henr. Conradi, Gera-Varisco. pl. 9.

Hae tres dissert. vno volumine comprehensae, in lucem prodierunt sub titulo:

Aduentus Messianus dudum factus et in hunc mundum datus; *πρόσγεγνώσεως ἕνεκα* ad Scientiam Scientiar. de Salvatore Christo eo rectius imbibendam praemissus, et contra Iudaeos praefractus a IV. Criter. maxime claris sc. I. Ablat. sceptri etc. demonstratus Lips. die 10. Iulii MDCXLV. praefixa Dedicatione ad Praesidem totumque Ordinem ac Collegium Senatorum Reipubl. Vratislau. 4. pl. 26.

XII. HOEPFNERVS Angelicus Doctor h. e. *Μακαρισμός* Henr. Hoepfneri Th. D. ac Prof. celeb. Oratione Parentali d. XII. Iul. dicta, et excusa cum Parentalibus Hoepfneri. Lips. MDCXLII. 5)

XIII. Programma Natalitium ad loc. Es. VII. 14. Lips. MDCXLIV.

XIV. Paulus Anti-Caluinianus, Absolutum decretum per totam Romanorum epistolam elidens, Resp. pro prima in Theol. laurea collata M. Io. Mauckisch. L. A. Q. C. pl. 15.

XV. Vnio duarum in Christo naturarum hypostatica a Calvinianor. erroribus liberata. Resp. M. Georg. Moebio L. A. Q. C. pl. 4.

XVI. p) Addantur Litterae ad hunc Parentationis publicum Actum Inuitatoriae in forma patente proposit. Lips. die 10. Iulii MDCXLII, Ananias Weber D.

XVI. Herzwecker und Buß-Predigt über den Hagel und grosse
Donner-Wetter ex Hiob. XXXVIII, 22. 23. Lips. 1644.

XVII. Sacer Colophon Ministerii Lips. h. e. Christl. Abschied-
und Balet-Predigt aus Euang. Matth. II, 1-13. Festo Epiph.
1645. Leipzig.

XVIII. Bonus Doctor et Bonus Auditor, h. e. das Amt eines
rechten und guten Lehrers und Zuhörers, aus Euangel. Sexages.
Luc. VIII, 4-16. zur Antritt- und Anzugs-Predigt des aufgetrage-
nen Predigt-Amtes zu St. Elisabeth in Breslau, Dess 1645.

Atque haec sunt, quae Diuus WEBERVS noster composuit, et
cum ex oculari inspectione, tum aliunde nobis innotuere, libro-
rum monumenta. In quibus, si numerum spectes, pauca, si do-
ctrinae, quam illa spirant, vbertatem, sat egregia maximique pre-
tium esse, iudicabis. Ante vero quam huic scripto coronidem im-
ponamus, haud sinisterius, confido, nec a scopo alienum plane,
interpretaberis, si de Epistolis, quarum mentio supra passim inie-
cta est, breuiter adhuc dicemus. Id quod si fecerimus, non tan-
tum fides exinde antea relatis accedet, sed cognosces etiam, quae
illorum temporum historiam magis in aprico ponunt. Exarauit
illas Diuus WEBERVS, cum Lipsiae degeret, ad Virum Summe
Reuerendum, MATTHIAM HOE ab HOENEGG, SS. Th. Doct.
Com. Pal. atque Sereniss. IO. GEORGIO, Saxoniae Electori, a Con-
cionibus aulicis primariis, confessionibus sacris et consiliis eccle-
siasticis. Potestatem autem has epistolas, quarum VIII. ad manus
nobis sunt, ex ipso exemplari authentico eruendi, quo par est, ho-
noris cultu acceptam ferimus Viro Magnif. IO. ERHARD. KAP-
PIO, Eloqu. P.P. Patrono multis nominibus aetatem Deuenerando.
Erat quidem animus, illas ex alieno (in quo duo adhuc volumina epi-
stolarum a Viris Celeb. ad MATTH. HOE missarum extant) horreo de-
promptas, ad vnam omnes formis describendas curare, sed, cum insti-
tuti ratio longe aliud ferat, quod ceperamus initio, consilium mutau-
imus. E re potius nostra fore arbitramur, si diligens earum spicilegium
quasi faciemus. Dabimus hocce ita effectum, vt nonnullas, quae
illustrandae D. WEBERI vitae facem accendere videbuntur, inte-
gras communicemus, de reliquis autem argumenta duntaxat quam
luculentissime proponamus. At, ne in recensendis illis ordo delide-
retur, annorum, quibus scriptae sunt, seriem obseruare nos oportebit.

PRIMA epistola petitoriis annumeratur. Praemissis voto et
de litteris D. HOE non redditis excusatione, rationes exponit D.

WEBE-

*Epistolae ad
D. Matth.
Hoe ab
Hoenegg
exaratae
atque ex
MSto eru-
tae.*

*Argumenta
Imae.*

WEBERVS, cur IVtam Th. Professionem ambiat. Deinde modeste rogat ab illo, vt se Electori Seren. et Proto-Synedrio de meliori hoc nomine commendet, nec patiatur, M. Auerbachium competitorem sibi praeferrī. Tandem citatis ideo cauffis, in munere ornando fidem spondet atque obseruantiam. Sed cum haec epistola momenta quaedam contineat, non penitus spernenda, integram apponere placet. En accipe!

*Salutem omnigenam, pacem utramque, sanitatem pristinam, et πέν-
τας τὰ ὀλβια a Deo benignissimo voueo et precor; ex me vero
obseruantiam, obsequia et preces ad nutum recipio.*

*Reuerendissime, Magnifice, Nobilissime Vir, Domine Patrone,
Moecenas et Promotor atque in Christo Pater vitam Colendissi-
me et Obseruandissime,*

*Vestrae Reuerendissimae Magnificentiae ex animo condoleo ob vale-
tudinem aduersam, quotidianis gemitibus Jehouam Medicum implo-
rans, vt nodosum morbum expellat, et coelitus Vestram Nobiliss. Ma-
gnificentiam conualescere iubeat. Ad Reuerendiss. V. Magnif. ipsis
Calendis Decembris exaravi litteras, Eiusque patrociniū ad obti-
nendam Professionem Theologicam ex obitu Dn. D. Baueri ὡν ἐν ὀφθαλμοῖς
vacuam, submissee filialique reuerentia imploravi. Et ecce! a Dn.
D. Henrico Hoepfnero Patrono meo aetatem suspiciendo intellexi, ve-
stram Magnif. ipsas oculis nondum vsurpasse. Miror, qui factum, vt
non fuerint traditae. Interim pro affectu paterno erga me in litteris
Dn. D. Hoepfneri radiante ago gratias deuotas et submissas, et Reue-
rend. Vestrae Magnif. humiliter significo, quod amplissimo Collegio
Theologico ad quartam Professionem meam opellam obtulerim, ductus
et adductus sequentibus rationibus. Primo enim gestio Dei quoque
gloriae inseruire in cathedra publica professoria, quo nomine rursus ad
V. M. consilium me Lipsiam contuli, eoque etiam mea studia haecenus
dixi, et ante aliquot annos gradum Licentiae petii. Porro me sti-
mulat diuina Prouidentia, quam nouum Promotionis ostium mihi pan-
dentem iure exosculor et ductum diuinum agnosco. Tertium, si gra-
dum Licentiae studiaque mea exigua ante hac in Academia tractata, et
in variis Collegiis exercitata perpendo, neminem Lipsiae anteeuntem
aduerto, et ita diuinam vocationem manibus quasi palpo. Quartum
accedit modernae meae functionis Ecclesiasticae ea conditio et ratio, vt
operam meam studiosae luentuti tum publice, cum priuatim commo-
de addicere queam. Eo intuitu huc quoque accessi, et spem mihi fecit
Reu. Magnificentia Vestra, fore, vt hoc vel illo Professore diem suum ob-
eunte*

eunte in illius locum possim succedere. Sexto vrget me quoque priuata angustia. Leysnigae enim bona mea exigua igni sunt absunta; Lipsiae prouentus Ecclesiastici ob pecuniam sunt parcissimi, et familia sustentationem flagitat. Vt igitur cum ipsa viuam, modeste functionem istam ambire volui, et ad denominationem subiectissimam Facultatem Theologicam submissee rogavi, Serenissimo vero Electori etc. pro clementissima confirmatione indulgenda, ea, qua par est, subiectione supplicis factus sum. Notum autem est, Reuerendissimam V. M. praecipuam sibi partem in redintegrandam hac prouincia vendicare; quare per Deum, per fauorem pristinum et paternum, quo conatibus et studiis meis exiguis adspirat, Eandem obseruanter rogo, ut tum in Laudatissimo Proto-Synedrio, cum apud Sereniss. Dn. Electorem pro ea, qua pollet, officii auctoritate, totum hoc negotium eo deducere clementer velit, ut haec Professoria functio humeris meis imponatur. Promitto fidem in ea sinceram adhibendam et industriam non tantum publice profutendo, sed etiam priuatim et publice disputando, diuina adminiculante gratia declarandam. Promitto meam obseruantiam et preces, promitto gratitudinis tesseram et $\mu\eta\gamma\alpha\sigma\tau\omega\upsilon\upsilon$. Vt de M. V. R. nullus dubito, ita denuo peto, ut non patiatum, vel peregrinum, vel Dn. M. Auerbachium mihi praeferrere, cum imprimis Facultas Theologica meis studiis faueat. Non peregrinum et externum; nam ita spes mea planitus decollaret, ob quam Lipsiam abiit; et forte fieret eiusmodi Promotio non absque praecudicio. Non alterum; nam non tantum olim, sed etiam nunc ipsum anteiui, et non absque macula quadam mihi praeferreretur, quamque spondet ipse industriam, eandem cum Deo meo impendere in informanda iuuentute annitar. Praeterea nescio, quo cum dedecore Facult. possit huic officio praefici? Hoc autem non scribo, quasi vel Reuerendissimae V. M. quicquam praescribere mihi praesumam, vel personam notissimam et promotione alias dignam arrodere cupiam, sed tantum, ut meam causam vrgeam. Quare non dubito, quin R. V. M. ob $\pi\alpha\rho\rho\gamma\eta\sigma\iota\omega\upsilon$ adhibitam mihi veniam sit indultura. Ita valeat in Iesu Saluatore nostro, et plane reualescat, ac in salutem dulcissimae Patriae, Ecclesiae et Academiae, meique ipsius commodum aeternum feliciter degat, proueniat. Dabam Lipsiae 12. Dec. Anno Iesu Christi 1638.

Reuerendissimae Vestrae Magnificentiae

et Nobilitati

addictissimus ad omnia et humilis Client

L. Ananias Weber,

ad D. Thomae Archidiacon. m. p.

Epi-

D

Epistolae Inscriptio:

Reuerendissimo, Nobilissimo, Magnifico et Celeberrimo Viro, Domino Matthiae Hoë ab Hoenegg, in Lungwitz et Gönsdorff Haereditario, SS. Theologiae Doctore Incomparabili, Comiti Palatino Caesareo Splendidissimo, Serenissimo Domino Electori Saxoniae a Concionibus aulicis primariis, Confessionibus Sacris et Consiliis Ecclesiasticis, Domino meo Patrono, Maecenati atque Promotori aeuiternum Suspiciendo et Colendo.

II^{dae}. ALTERA similis cum prima argumenti est. Inprimis obuiam ire nititur WEBERVS M. Auerbachii irremissae sollicitationi. Precibus iteratis, Celeberrimo HOE in memoriam reuocat datam sibi olim de obtinenda Professoris sparta promissionem. Ac denique diligentiam indefessam denuo pollicitus, vota pro eius salute nuncupat. Exarata haec est d. 9. Ianuar. 1639. Lips.

III^{tiae}. TERTIA continet varia. Primo nunciat futuram promotionem suam Doctoralem, simul petens, vt, cum ex more doctoreo munere h. e. mitra et libro donandus sit, haud grauatim significet, quonam libro prae caeteris gaudeat. Postea M. Paulum Hoepfnerum, Leisnicensem Parochiam ambientem, commendat. Tum de edito in Apocalypsin Commentario gratulatus, sese purgat, quod non addiderit *προσφώνημα*. Tandem fausta quaeuis precatur. Scripta est d. 23. Aug. 1640. Lips.

IV^{tae}. QUARTA Cel. HOE tum suo, tum recens creatorum Th. Doctorum nomine gratias agit, partim, quod suo Actui applausisset, partim, quod legatum indulisset. Mittit munus doctoreum, et quod tardius iusto perferatur, culpam tribuit bibliopolae absenti. Sub finem M. Gottofr. Sigism. Peisckerum SS. Th. Bacc. ab egregiis animi dotibus dilaudat, vtque eius studia iuuet, decenter contendit. Data est Lips. die Galli 1640.

V^{tae}. QUINTA faciem sistit Lipsiae tristissimam. Narrat WEBERVS miraculum de aqua in colorem sanguineum mutata. Temporum diritatem allegat e fame grassante, qua pecudum agmina enecta sunt. Queritur de grauissima Urbis obsidione, iniquissima deditione, et de Schleinitzii perfidia. Laudat gratiam in hoste. Dolet locorum finitimorum vastationem. Luget afflictam Academiam, pestemque metuendam esse, scribit. His subiungit commendationem, qua D. LANGII Collegae filium ob singularem et
in

in Philol. et in Theologicis doctrinam prae caeteris dignum esse ait, cuius studia adiuuentur. Cum vero ex hac epistola ad cognoscendam, qua Lipsia 1642. laborauit, miserrimam rerum conditionem plurimum lucis affundi possit, adiiciendam illam hoc loco esse putauimus. Concepta est his verbis:

Salutem, gratiam et pacem cum vitae incolumitate a Deo Ter optimo maximo voueo!

Reuerendissime, Nobilissime, Magnifice, Eminentissime Vir, Domine Patrone et in Christo Pater aeuiternum Colende,

Quae Deus iratus regioni et vrbi nostrae tot prodigiis et prodromis iam dudum mala intimauit, ea nunc pleno horreo nobis admittitur. Aqua colorem rubeum et sanguineum post Pentecostes festum induens ante Portam nostram Petrinam semper mihi visa est portentum poenae maximae; Proinde etiam in duabus concionibus de eius natura miraculosa et significatu auditores edocui. Vtinam robur in animis hominum habuissent. Verum, ut fieri solet, a multis etiam a doctis, nibili hoc habeatur visum; nunc autem prohb dolor cum lacrimis euentum vident certissimum. Cruentata nunc Lipsia nostra nimis est. Cruentata in obsidione; vbi homines perierunt et sauciati sunt permulti, vbi pecudes fame agminatim desierunt, et ingenti foetore totam urbem infecerunt, vbi tot tormenta bellica non tantum moenia, sed et aedes et arcem Electoralem concusserunt, et stragem ingentem dederunt, tantumque horrorem incolis incusserunt ut prae animi angustia vix locum subsistendi multi reperirent. Cruentata inprimis fuit nostra Lipsia post infelicem et fere infaustam ac iniquam, imo inauditam haecenus deditioem, non quidem effusione sanguinis humani, hac enim parte succi nobis pepercerunt, sed exactione pecuniae grauissima, quam Schleinitzio tractatibus et conuentione peculiari cum hoste, exclusa vrbe et ciuibus eorumque vita, bonis, privilegiis ex iurisiurandi vinculo, quo Serenissimo Dno. Electori nostro obstricti sunt, ceruicibus nostris attraxit. Reliquit is nos omnes in tantis angustiis, ex quibus mens humana non videbat eluctandi medium. Nisi Deus nostri esset misertus, et Domini Generalis Belli Ducis Suecici, Domini Dorstensohnii clementia nobis subuenisset, de nobis miseris actum fuisset. Oportet igitur nos in hoste laudare gratiam, quam miseris indulsit, contra in defensore admirari odium, vel iram acerbissimam, vel etiam oscitantiam summam, quam sub finem discessus de-

monstravit. Totus praeterea tractus Lipsiensis et loci finitimi ad 7. et octo milliaria πικυλαδελφω absunti sunt; ruricolae pagos et aedificia omniaque bona perdiderunt, Academia vix spiritum trahit extremum. Metuenda praeterea est pestis grauissima, quam prodromi non leues praenunciant. Quicquid autem sit, ac lubentissime incidemus in manum Domini.

Haec rerum est facies, quam breuibus lineolis Vestrae Reuerendissimae Magnif. adumbrare et σικεργαφειω volui, submisisse rogans, ut pro mitigatione irae et liberatione nostri ex tanta malorum iliade ad Deum vota deuota fundere velit.

Vnde satis patere arbitror, in tantas calamitates per ferales belli Suecici turbas adductam, atque adeo graviter afflictam fuisse superiori saeculo Lipsiam, ut non aduersa tantum, sed euersa penitus ciuitatis et Academiae fortuna videretur, nisi Deus, tanquam ex machina, apparuisset. Quae de hac epistola addenda restant, et M. Langii commendationem continent, per finium, quibus cingimur, angustiam subnectere illicet. Perscripta est 12. Dec. 1642. Lips.

Vltae.

SEXTA tangit negotium Vratislauenſe. Grata mente agnoscit consilium a Cel. HOE ea propter sibi suppeditatum, rem omnem Deo et Seren. Electori commissurus. Priorem vocationem non processisse refert. De posteriori fusius exponit, eamque non abiiciendam sibi videri, scribit, ob varias rationes. Quid faciendum sibi sit, sciscitatur, ut et Ecclesiae, et conscientiae, et suis consulere queat. Tandem querelas D. CASSELLII enarrat. Ast, quid opus est multis? Ecce integram!

Salutem in Domino et filialem obseruantiam!

Reuerendissime, Magnifice, Nobilissime et Eminentissime Vir, Patrone, et in Christo Pater multis nominibus aetatem Colende,

Litteras suavissimas Vestrae R. M. recte accepi et animi sensum beneuolentissimum ex iis satis percepi super negotio Vratislauenſi. Perplacet mihi illud, quod suppeditauit, consilium, cui etiam morem geram, quanquam non dubitem, inclutum Senatuum Vratislauenſem moras, quae hac in parte futurae sunt, antequam res ista expediat, et officium nuper nominatum sic restituatur, vix aut saltem difficulter moraturum esse. Quicquid autem sit, res recta suscipienda est via, Deoque et Serenissimo Dn. Electori Domino meo Clementissimo committenda. Alias oro, ne grauiter ferat R. Vestra M. quod
citius

citius rem istam et negotium arduum ipsi non communicauerim. Ab initio sub fide silentii explorabatur mens mea, an vocationem velim acceptare ad officium Pastorale in templo Mariae Magdalenae denominato, ita quidem, ut clatum haberem, et nemini quicquam hac de re aperirem, antequam consensum expressissem meum. Quid facerem, cum nemine poteram hac de re conferre ob annexam conditionem, declarationem etiam obligatus Serenissimo Electori nequaquam edere poteram. Hoc saltem respondi, quia mei iuris non essem, rem a Seren. Electore esse petendam. Veritus autem est Senatus praedictus inclutus, ne repulsam a Serenissimo Electore ferret. Hinc ista vocatio non processit. Iam autem, quia vident, viribus exiguis minimisque praedictum Supremum Pastorem et totius ministerii Seniores Dn. M. Fleischerum, cogitarunt de certa persona Academica ipsi adiungenda, quae esset a latere et in defectu vices eius suppleret, praeterea in Gymnasio Theologica doceret, et in Synedrio Ecclesiastico a consiliis esset, meamque personam denuo per Dn. Syndicum a Pein compellarunt, ut non grauarer hoc officium interim subire, donec suo tempore, si forte Deus Clementissimus Dn. Seniores ex hac vitae usura ad se vocaret, plane in locum illius surrogarer. Hanc oblatam vocationem, vel vocatione futura tractationem non existimaui esse abiiciendam, imprimis in tam durissima statione nostra Lipsica, ubi quotidie augentur lateres, et multiplicantur anxietates, deficiunt in utroque officio Salaria, & plane dilabatur optima Academia. Ne autem sinistri quid a me perpetretur, tocum istud negotium in sinum R. V. M. effundere volui, obsecraturus consilio eiusdem planissimo, et diuinam hac in parte voluntatem et Serenissimi Electoris decisionem, indultum Clementissimum expectaturus. Quemadmodum vero R. V. M. semper meam salutem sibi curae cordique esse passa est, ita summopere etiam nunc contendo ab eadem, si viderit promotionem istam ad Dei vergere gloriam et salutem Ecclesiae, meique et meorum commodum, ut mihi heic non deesse velit. Ego enim, prout solet plerumque fieri, mihi ipsi parum consulere hac in re valeo. Deo repugnare nolo, conscientiam etiam saluam conservare desidero, Ecclesiae salutem vnice specto, postea etiam curam mei meorumque iuxta monitum Paulinum habeo. Si quid peccem, quod tamen non existimo, erit R. Vestrae M. me monere. Hoc vnicum etiam me angit, quod in concatenatis meis laboribus destituar deinceps mediis viuendi, nisi Deus ἀπὸ πυχῶν succurrat, et malorum vel tandem pausam faciat. Vnde cum idem Clementissimus

Pater meliorem viuendi rationem Vratislaviae mihi offerat, istam Dei Prouidentiam omnino reuerenter habendam esse nullus dubito. Quare ad R. Vestrae M. consilium propediem litteras ad inclutum Senatam Vratislaviensem exarabo, utque supplicem libellum ad Serenissimum Dominum Electorem Saxoniae dimissionem meae personae rogantem transmittant, subiiciam. Quicquid mihi hic fuerit responsum, ocyus cum Vestra R. M. communicabo.

Sub finem R. Vestrae M. notum facio, quod praeteritis diebus Altenburgum ad nuptias cuiusdam amici intimi pertransierim, ubi in reditu compellauit Dn. Superintendentem D. Casselium, qui mihi multa de Catechetico Exegetico in ducatu Altenburgico enarrauit. Inter alia etiam conquestus est de mendacijs, quae de hoc exercitio in ipsius odium spargerentur. Et inprimis pro ingenti habuit mendacio, quod persona quaedam Ecclesiastica, cuius nomen non expressit hinc inde diuulgauerit, quasi Dresdae praxis eius Catechetica refutaretur, et illustrissimus Princeps breui monendus sit, ut exercitium hoc per publicum programma demandatum rursus intermitteretur. Existimauit cum ipso hanc famam pro mera calumnia et mendacio, cui nullo modo fides sit danda; Nec existimo, me hac in re falsum fuisse animi. Plura non addo, sed Reuerendissimam Vestram Magnif. Deo Clementissimo commendo. Bene valeat illa diutissime in Dei gloriam et multorum salutem. Dabam Lipsiae, 15. Iulii, 1644.

Reuerendissimae Vestrae Magnificentiae

*addictissimus ad preces et officia quaenvis
in Christo filius*

Ananias Weber, D.

m. p.

VII^{mae}.

SEPTIMA narrat, litteras Seren. Electoris responsorias ad Facult. Theol. et Senatam Vratisl. recte allatas esse. Gratias decernit pro nauata opera, iisque adiungit munusculum, quod ut serena fronte dignetur Cel. HOE, obnixe petit. d. 28. Octobr. 1644. Lips.

VIII^{mae}.

OCTAVA denique spondet denuo aeternam beneuolentiae in negotio Vratisl. sibi exhibitae memoriam, votaue pensat votis. Gratulatur fanitatem Vxori Cel. HOE diuinitus restitutam. Oblatas sibi litteras commendatitias ad Senatam Vratisl. sub abitum sibi mittendas modeste expetit. Moram itineris adscribit et negotiis, et militum discursionibus, et tempestati aduersae. Saluere iubet
Ven.

Ven. HOE ex Dn. Collegis et Dn. L. CARPZ. quem sibi in Professione successurum, ad summos in Th. honores adspirare, memorat. Tum D. DAN. HEINRICI in aedibus suis versari, lectiones publ. auspiciatum, et proxime pro loco disputaturum esse, refert. Tandem suam M. IO. MAVKISIVM, quam diligentissime potest, commendat. d. 17. Nouembr. 1644. Lips.

Sed quo abripior? Orationis filum abrumpo, atque de via reuertor in semitam. Accepisti, VIR MAXIME VENERABILIS, vitam Diui WEBERI, Doctoris Theologi, omni certe praeconio maioris. Scripta, quibus ILLE inclaruit, atque epistolas ad Celeb. MATTH. HOE, cognouisti, ex parte, quoad eius fieri potuit, excerptas, ex parte vero integras. Par quidem fuisset, non enim inficior, et verba eximia afferre, et orationem haud vulgarem, sed bonae mentis potius, quam phalerati sermonis, rationem TE habere, saepissime expertus sum. Haec est exoptatissima illa dies, qua votiuis plausibus certatim TE excipit Lipsia, Tui studiosissima. Hac die, quos reportasti, honores, faustissimos precantur, quotquot WEISIANO NOMINI fauent, et propter beneficia obstricti sunt. Ex quorum numero mihi quoque, confido, licebit, vt sincera quaedam vota simul nuncupem. Sed, cum de hoc pietatis officio, rite exequendo, sollicitus sum, dubito sane, cui potissimum gratulari debeam: TIBI ne, cui haec dignitas, dudum promerito, contigit? an gregi sanctiori, in quo ad salutem instruendo, si quisquam, elaboras; an Academiae, cui studiosam iuuentutem docendo maximo et emolumento es et ornamento; an mihi potius, qui TVIS perinde ac meis delector fortunis? Atque hac in parte ad similitudinem Diui WEBERI quam proxime accedis. Meruit ILLE de coetu diuini, perspicue solideque explicando pro suggestu oracula sacra; sed quis est hoc in munere TE diligentior? Expressit WEBERVS in vita sanctitatem, in doctrina puritatem, in dicendo grauitatem; at haesito certe num quispiam Lipsiae ignoret, quam amice haec singula in Venerando WEISIO conspirent. Laudauimus ILLVM ab egregia, quam Academiae praestitit, opera; sed nec minori laude afficiendus est WEISIVS. Ex quo enim Philologicas aequae ac Theologicas scholas aperuit, tanta semper studiosorum turba stipatus est, vt nemo docentium magis. Fuit ILLE in disputando assiduus; ecquis vero TE, VIR MAXIME VENERABILIS, in eruditis, quae
sub

XXXII

sub T V O moderamine creberrime instituuntur, certaminibus, exercitior, accuratior? Polluit in E O incomparabilis humanitas, atque singularis in egenos benignitas; sed quis T E in sermone humanior, quis erga inopes benignior? T V sane es, fatendum enim mihi, quod veritas poscit, pauperum quasi Asylum, dulce afflictorum solatium, robustum infirmorum munimentum. Paucis: Mens WEBERI, Mens WEISII. Ast, quid ego T V A M, VIR MAXIME VENERABILIS, praeclaram eruditionem, quid insignem, quam imitemur, vitae sanctimoniam, quid eximias T V A S animi dotes, verbis extollere conor, rem viribus meis paene imparem? Is demum praestantissimas virtutes T V A S admiratione aequabit, qui capiet. Interim, quamquam me non fugiebat, T E vnum omnium laudis gloriaeque minime esse auidum, nefas tamen duxi, tam illustrem nominis T V I famam silentio obscurare, eoque ipso ingrati animi crimen incurrere. Seruet T E summum Numen sacrae, seruet litterariae Ciuitatibus. Conseruet T E atque vires largiatur corporis animique firmissimas, quo arduis sane, quas sustines, partibus sufficere possis quam diutissime. Seruet T E Lipsiae, atque illius, in quem Philurea olim D I I WEBERI discessu coniecta est, acerbissimi moeroris expertes nos esse iubeat. Tueatur Splendidam Gentem, Affines Excellentissimos, Agnatos Honoratissimos. Circumfundat E O S omnibus felicitatis generibus; id enim merentur Illorum pietas, eruditio, probitas. Caeterum, vt summus rerum humanarum Arbiter candida haecce vota adimplere benigne velit, voce precor, diuinitus certo exaudienda. Vale, VIR MAXIME VENERABILIS, et solito me fauore atque beneuolentia complectere, in qua multa, quid? quod omnia consecutum me esse, nunquam non putabo. Lipsiae, d. IX. Cal.

Septembris. A. R. G. clō Io cccxxxix.



Coll. diss. A. 59